



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 57. Turbæ intestinæ in Galliis sopitæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII. urbi imposito Decanum rursus captum
 A. C. 1654. Ottensteinianæ arci includeret.

§. LVII.

Turbæ intestinæ in Galliis sopita.

*La Hode
 vie de
 Louis XIV.
 tom. 2.
 Motteuill.
 t. 4. p. 402.*

Postquam Ludovicus XIV. Franciæ Rex non alieno, sed proprio potissimum consilio Regni habenas moderari cæperat, in Galliis res feliciter cessere; Harcurtius enim ex Aquitania fugienti similis sese Regi suo submittere, necnon Burdegalenses & Aquitani de novo in Regis obsequium reversi sunt, everisque Condæi Principis consilio Mazarini Cardinalis auctoritas adeo firmabatur, ut omnes Principes ipsius amicitiam certatim quærerent, ac ipse Contius Princeps belli turbarumque pertæsus, Martinosiam præfati Cardinalis Neptin connubio sibi jungeret, & pietissimæ hujus Matronæ exemplo solutioris, quam antea egerat, vitæ tædio affectus, pietatis exercitiis totum sese devoveret; insuper Longevillana Ducissa Regi reconciliata est, quæ postea in Asceterio Religiosarum instituti Visitationis B. V. adeo austeram ducebat vitam, ut a Jesuitis, quibus minus propensa erat, Jansenismi insimularetur: Attamen Condæus Princeps coram Rege comparere, seque captum

mittere

sistere jussus omni dignitate exutus est, Sæc. XVII.
A. C. 1654.
 Ludovicus quoque Borbonius tanquam læsæ Majestatis reus morti addicebatur, donec vero comprehendi posset, omnibus officiis bonisque privandus: hac tamen severitate nondum compescebatur Condæo adhærentium furor; hi enim vicissim mortis sententiam in Mazarinum pronuntiarunt, ac sicarios auro corruptos emiserunt. Sub idem tempus, Galli Stenæum munitissimum Condæi Principis oppidum feliciter expugnarunt, necnon Atrebatum ab Hispanis cinctum obsidione liberarunt, captis omnibus hostium tormentis, ac diruto etiam Claromontio Flandriæ oppido. Denique Rex Parlamenti audaciam compescuit, dum ipse Curiam Regia prorsus Majestate ingressus, indictis severissimis pœnis inhibuit, ne deinceps Parliamentum sine speciali Regis venia Conventum haberet. Tantum valet ad compescendos subditorum motus magnanimi Regis præsentia.

§. LVIII.

Diffidia inter Papam & Franciæ Regem ob cessionem Pariseni Archiepiscopatus.

*Mem. du
Card. de
Retz. t. 5.
Foli t. 2.
pag. 56.*

Obierat die vigesima prima Martii ante biennium Joannes Franciscus Gon-